

ne: vel unum genere, sicut homo, & asinus in animali: vel unum analogia, sive proportione, sicut substantia, & qualitas in ente: quia sicut se habet substantia ad esse sibi debitum, ita & qualitas ad esse sui generis conveniens. Quæ vero junguntur ad invicem, & in aliquo uno ex eorum conjunctione constituto, sunt sicut materia, & forma: quia forma conjungitur materiæ ut perfectio ejus, & ambo conjunguntur in natura communi: & simile est de partibus quantitativis continuatis ad invicem, ita quod ex eis proveniat aliquod totum, in quo duæ partes conveniant. Ea vero quæ uniuntur ad invicem, & non in aliquo uno, sunt sicut accidens, & subjectum, ex quibus non efficitur unum per se, cujus subjectum, & accidens partes dici possint, ut probatur in VIII. Metaph. (text. xv. xvj.) Et quia, ut dicit Hilarius (I. de Trin.) comparatio terrenorum ad Deum nulla est; nec exemplum sufficiens rebus divinis ratio humana præstabit; sciendum est, quod nullus istorum modorum competit ex toto ineffabili unioni qua Deus homini unitus est; sed tamen aliqui istorum modorum quantum ad aliquid repræsentant illum modum unionis. Sciendum est ergo, quod medius modus, quo aliqua conjunguntur ad invicem, ut ex eis aliquod tertium resultet, omnino non potest Deo convenire: quia duo quæ conjunguntur secundum hunc modum, se habent ad tertium ut partes: ratio autem partis, sicut & imperfecti, penitus à Deo removetur. Primum vero modum, & tertium quantum ad aliquid possibile est Deo convenire. In Incarnatione enim ex parte assumptis duo possunt considerari, scilicet persona, & natura. Si autem consideremus personam assumptam, sic conjungitur humanæ naturæ assumptæ tertio modo conjunctionis: quia persona divina fit persona hujus naturæ humanæ; sed ex his duobus non resultat aliquod tertium, sicut etiam in Sorte ex persona ejus, & natura non fit aliquod tertium, sed persona ejus in humana natura subsistit. Si autem consideremus naturam assumptam, sic conjunctio ejus ad naturam humanam est secundum primum modum conjunctionis, in quantum duæ naturæ in una persona conveniunt, quæ in naturalibus proprietatibus nihilominus distinctæ sunt. Et ideo incarnatio insertionis comparatur: sicut enim in insertione in eodem trunco in quo erat unus ramus per naturam, fit ramus alius per insertionem; ita in eadem persona in qua naturaliter erat divina natura, est per unionem humana natura. In uno autem genere, vel specie Deum, & creaturam convenire impossibile est; sed per analogiam possibile est. Sed hoc ex tunc fuit ex quo creaturæ esse cœperunt: & ideo de hoc non est ad præsens quæstio.

Ad primum ergo dicendum, quod contingit aliquando in relativis aliquid relative dici, non quia ipsum referatur, sed quia alterum refertur ad ipsum ut dicitur in V. Metaph. (text. xx.) sicut scibile relative dicitur ad scientiam: & in talibus aliquid incipit dici de novo quod prius non dicebatur, nulla mutatione facta circa ipsum, sed circa alterum: nulla enim mutatione facta circa scibile, incipit esse à me scitum per mei mutationem: & similiter dicitur res scibilis non per potentiam passivam quæ sit in ipsa, sed per potentiam quæ est in sciente: & sic est in proposito. Non enim potest esse ut Creator ad creaturam referatur, nisi quia creatura ad ipsum referatur, in qua relatio realiter existit, ut in I. Lib. dictum est dist. xxx. & ideo Deus dicitur uniri non per mutationem sui, sed ejus cui unitur: & similiter

cum dicitur unibilis, hoc dicitur non per potentiam aliquam passivam in Deo existentem, sed per potentiam quæ in creatura est ut uniri possit. Vel potest dici, quod unibile non dicit potentiam passivam, sed activam. Sed hæc responsio non congruit propter duo. Primo ex ipsa significatione nominis: quia unibile significat possibile uniri, unitivum vero potens unire. Secundo quia cujus est actio, ejus est potentia: unde cum hæc actio quæ est unire conveniat indifferenti toti Trinitati, & unibile, si dicit activam potentiam unionis, toti Trinitati indifferenti conveniet, & non magis congruet Filio, ut in littera dicitur.

Ad secundum dicendum, quod illud quod est perfectum in se, non unitur alteri ad acquirendum aliquam perfectionem, sed ad communicandum: & sic Deus homini uniri voluit, non propter se, quia non habet quo crescat ejus perfectio, sed propter hominem, cui subveniendum erat: sicut etiam Deus est in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam, suam bonitatem in omnibus diffundendo; ex quo tamen nihil sibi accrescit.

Ad tertium dicendum, quod proportio dicitur dupliciter. Uno modo idem est proportio quod certitudo mensurationis duarum quantitatum: & talis proportio non potest esse nisi duorum finitorum, quorum unum excedit secundum aliquid certum, & determinatum. Alio modo dicitur proportio habitudo ordinis, sicut dicimus esse proportionem inter materiam & formam, quia se habet in ordine, ut perficiatur materia per formam, & hoc secundum proportionabilitatem quamdam: quia sicut forma potest dare esse, ita & materia potest recipere idem esse: & hoc modo etiam movens, & motum debent esse proportionabilia, & agens, & patiens, ut scilicet sicut agens potest imprimere aliquem effectum, ita patiens possit recipere eundem. Nec oportet ut commensuretur potentia passiva recipientis ad potentiam activam agentis nec secundum numerum (sicut unus artifex per artem suam potest in ligno inducere plures formas, ut formam aræ, & formam serræ; sed lignum non potest recipere nisi unam illarum) nec etiam secundum intentionem: quia artifex per suam artem potest producere pulchram sculpturam, quam tamen lignum nodosum non potest recipere. Et ideo non est inconveniens ut hic modus proportionis inter Deum & creaturam salvetur, quamvis in infinitum distent: & ideo possibile est unio utriusque.

Ad quartum dicendum, quod contraria nunquam possunt uniri hoc modo quod insint eidem secundum idem; & sic etiam nec creatura Creatori unitur, quia secundum Damascenum (de Fide orthodox. Lib. III. cap. 111. post medium) quod erat increabile, mansit increabile, & quod erat creabile, mansit creabile.

Ad quintum dicendum, quod aliquid dicitur esse virtus in corpore pluribus modis. Uno modo quia est forma corporis, & non habet operationem nisi mediante corpore; & sic potentia sensitiva, & quæ infra eas sunt dignitate, dicuntur virtutes in corpore. Alio modo potest dici virtus in corpore, quia est forma dans esse corpori, non tamen operans mediante corpore; quamvis indigeat corpore ad suam operationem, per quod representatur sibi suum objectum: & hoc modo intellectus possibilis est virtus in corpore. Alio modo posset dici virtus in corpore quod est forma corporis; quamvis non operetur mediante corpore, nec à corpore aliquid recipiat; sicut di-

dixerunt de animabus orbium, qui posuerunt cælos animatos anima intellectuali tantum. Et patet: quia esse virtutem in corpore significat, vel esse formam corporis, vel etiam cum hoc dependere aliquo modo ejus operationem à corpore: quorum neutrum de Deo dicimus, secundum quod incarnatum est. Unde ad hoc quod ponamus eum incarnatum, non oportet quod ponamus eum virtutem in corpore, vel aliquo modo ad corpus finire.

ARTICULUS II.

Utrum Deus incarnari fuerit congruum.

III. P. quæst. 1. art. 1. opusc. 11. cap. v. & Lib. III. cont. Gent. cap. LIII. LIV. LV.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod non fuerit congruum Deum incarnari, etsi fuerit possibile. Sicut enim bonitati opponitur malitia, ita majestati opponitur infirmitas. Sed summam bonitatem non decet assumere aliquam malitiam. Ergo summæ majestati indecens est omnis infirmitas. Omnis autem sapiens vitat indecentiam. Ergo cum Deus sit sapientissimus, nullo modo nostram naturam, quæ infirma est, assumere debuit.

2. Præterea. Peccatum hominis, & peccatum Angeli fuerunt ejusdem generis, quia uterque per superbiam peccavit. Sed Deus Angelorum peccato non subvenit per alicujus naturæ assumptionem. Ergo nec peccato hominis subvenire debuit per incarnationem.

3. Præterea. Creatio recreationi respondet. Sed Deus ad creationem hominis nullam creaturam assumpsit. Ergo nec ad ejus recreationem incarnari eum congruum fuit.

4. Præterea. Ut in Psalm. cXLIV. 9. dicitur: *Miserationes eius super omnia opera ejus.* Ergo plus decuit quod Deus ostenderet immensitatem suæ misericordie quam severitatem suæ justitiæ. Sed ad magnitudinem misericordie pertinet ut peccata sine satisfactione remittantur: unde & à Deo nobis præcipitur ut debitoribus nostris gratis dimittamus. Ergo & Deus naturam humanam gratis reparare debuit, non expectando satisfactionem; & ita non fuit opportunum ut Deus homo fieret ad satisfaciendum pro hominibus.

5. Præterea. Nulla crudelitas Deo est attribuenda, qui summe est misericors. Sed exigere ab aliquo plus quam potest est crudele. Ergo Deus non exigit satisfactionem ab homine quam homo non potest implere, & ita homo per se potest satisfacere; & sic non fuit necessarium quod Deus incarnaretur.

6. Præterea. Quicumque potest satisfacere pro majori peccato, potest satisfacere pro minori. Sed mortale peccatum actuale est majus quam originale, quia habet plus de voluntario. Ergo cum homo possit pro mortali satisfacere, potest pro originali multo fortius satisfacere; & sic idem quod prius.

7. Præterea. In primo parente idem fuit peccatum originale, & actuale. Sed ipse per poenitentiam de peccato actuale satisfecit. Ergo & de originali potuit satisfacere; & sic idem quod prius.

8. Præterea. Secundum Dionysium lex Divinitatis est ultima per media reducere. Sed homo per peccatum à Deo abjectus erat. Ergo cum natura angelica inter naturam divinam & humanam sit media,

ut in iv. cap. cæl. Hierár. ostenditur, videtur quod etsi homo sufficienter satisfacere non poterat, per Angelum hoc fieri debuerit, & non per Deum incarnatum.

9. Præterea. Quodlibet bonum creatum finitum est. Sed bonum totius humanæ naturæ est creatum: quolibet autem finito potest Deus facere aliquid majus. Ergo Deus potest facere unam creaturam, cujus bonitas præponderet bonitati totius naturæ humanæ. Ergo per illam posset recompensari corruptio totius humanæ naturæ; & ita videtur quod non oportuit ad reparationem humani generis Deum incarnari.

Sed contra. Non erat conveniens ut una nobilissimarum creaturarum suo fine totaliter frustraretur. Sed humana natura est inter nobilissimas naturas. Cum ergo tota corrupta fuerit per peccatum in primo parente, & ita beatitudine privata, ad quam instituta erat, congruum fuit ipsam reparari. Sed reparatio humani generis non potest fieri, nisi peccatum dimittatur; nec justum est ut peccatum sine satisfactione dimittatur. Ergo oportuit pro peccato totius humanæ naturæ satisfieri. Sed satisfactio decenter fieri non potest nisi ab eo qui debet satisfacere, & potest. Ergo sic debuit fieri. Sed non debet nisi homo, qui peccavit, & non potest nisi Deus: quia quælibet creatura totum suum esse Deo debet, ne dum ut pro alio satisfacere possit; & sic aliqua creatura pro homine non potest satisfacere, nec ipse pro se, cum peccato indignus reddatur.

Præterea. Nullius creaturæ bonum excedit bonum naturæ humanæ, ut recompensationem pro tota natura possit facere. Ergo opportunum fuit ut Deus homo fieret ad satisfaciendum pro homine.

Præterea. Sap. vii. 30. dicitur: *(1) Sapientia vincit malitiam.* Sed per malitiam diaboli, & hominis humana natura, quæ opus est Dei, abjecta erat quantum dejecti potuit in culpam, & in miseriam. Ergo decuit ut sapientia Dei ipsam exaltaret quantum exaltari potuit. Ergo cum humana natura sit assumptibilis in unitatem divinæ personæ, ut prius dictum est, videtur congruum fuisse ut Deus humanam naturam assumeret.

Item Jacobi iv. 6. *Deus superbis resistit.* Sed per superbiam diabolus homini invidens, eum servum suum constituit, & injuste in servitute detinuit, cum ad servitium Dei creatus sit. Ergo decuit ut summe potens Deus nequitie diaboli resisteret, ut non solum hominem de ejus potestate eriperet, sed etiam e converso hominem dominum diaboli constitueret. Sed cum nulla creatura sit superior angelica natura, quæ est in diabolo, hoc non posset esse, (2) nisi homo qui hoc, faceret, Angelorum Dominus esset, quod soli Deo convenit. Ergo decuit ut Deus homo fieret, ut sic in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: Philip. ii. 10.

S O L U T I O.
Respondeo dicendum, quod ad ea quæ fidei sunt, ratio demonstrativa haberi non potest, cum fides de non apparentibus esse dicatur, Hebr. xi. & præcipue in illis quæ ex mera Dei voluntate proveniunt, cujusmodi est incarnatio: & ideo ad incarnationem probandam ratio demonstrativa haberi non potest, nec etiam in contrarium: quia cum demonstratio scire faciat, scientia autem non nisi verorum sit, oportet omne quod demonstratur, verum esse, &

(1) Vulgata: *Sapientiam autem non vincit malitia.* (2) *Al.* nisi homo qui Angelorum Dominus esset.

eius contrarium falsum: & ideo sufficit defendere quod non est impossibile incarnationem esse, quod in 1. art. ex parte dictum est, & ostendere aliquam congruentiam ad incarnationem, quod ad hunc articulum pertinet.

Sciendum ergo, quod supposito lapsu humanæ naturæ, congruentia incarnationis apparet ex tribus, scilicet ex plenitudine divinæ misericordiæ, & ex immobilitate justitiæ ipsius, & ex decenti ordine sapientiæ ejus. Quia igitur Deus summe bonus, & misericors est, decuit ut nulli negaret naturæ hoc cuius capax erat. Ergo cum humana natura lapsa esset, & nihilominus reparabilis erat, decuit ut eam repararet. Quia etiam justitia ejus immutabilis est, cujus lege sancitum est ut numquam peccatum sine satisfactione dimitatur, decuit ut in humana natura institueret eum qui satisfacere posset: quia hoc purus homo per se facere non poterat, ut dicitur. Sed quia summe sapiens est, convenientissimum modum reparationis debuit adinvenire. Modus autem convenientissimus est ut integra natura repararetur, & faciliter ad id quod amiserat, homo pervenire posset. Si autem hominem per Angelum repararet, non integra esset reparatio: quia semper homo Angelo salutis suæ debitor esset, & ita ei in beatitudine adæquari non posset; quod tamen consecutus fuisset, si non peccasset, sicut & nunc consequuntur homines per gratiam reparationis, ut sint sicut Angeli Dei in cælo, Matth. XXI. Et ideo decuit ut non Angelus, sed ipse Deus hominem repararet. Similiter ut esset facilis modus ascendendi in Deum, decuit ut homo ex his quæ sibi cognita sunt tam secundum intellectum, quam affectum, in Deum consurgeret, & quia homini connaturale est secundum statum præsentis miseris ut à visibilibus cognitionem accipiat, & circa ea afficiatur; ideo Deus congruenter visibilis factus est, humanam naturam assumendo, ut ex visibilibus in invisibilem amorem, & cognitionem rapiamur.

Ad primum ergo dicendum, quod majestatem non decuit infirmitas eam deprimens, & quodammodo involvens, (1) Talis autem non fuit illa de qua sermo est; nec per incarnationem infirmitas humanitatis dimittit potentiam majestatis: quia dicitur naturæ in una persona inconfusæ, & inalterabiliter sunt unitæ. Nec est similis ratio de malitia, & infirmitate: quia infirmitas de sui ratione non privat ordinem à fine, & ideo propter aliquem finem assumi potuit; sed malitia dicitur secundum deordinationem à fine, & ita omnem congruitatem tollit: unde omnino indecens fuisset ut summa bonitas quocumque modo malitiam assumeret.

Ad secundum dicendum, quod peccatum hominis fuit remediabile, non autem peccatum Angelis, cujus ratio multipliciter assignatur. Primo ex virtute naturali utriusque: quia quantum ad cognitivam Angelus cognoscit in luce plena per intellectum deiformem, ut possit totum considerare sine inquisitione quod ad electionem alicujus rei pertinet, ut sic per ignorantiam non excusetur, sicut homo qui cognoscit quæ agenda sunt deliberando per rationem, quæ est quasi quædam obumbratio intellectus, ut dicit Isaac (a) in Lib. de diffinitionibus: quantum ad effectivam vero, quia voluntas Angeli invariabilis

(1) Al. dicitur. Talis autem non fuit illa de qua sermo est.
(a) Ex Err. P. Nicol. Nempe ille cognomine *Beimram*, professione vero medicus, & medicus filius, qui circa Christi annum 1070. floruit, & citatum hic librum inter alia multa scripsit, ut in Bibliotheca sua Gesnerus notat.

lis est post electionem, cum sit infra voluntatem divinam, quæ est invertibilis ante, & post, & supra voluntatem humanam, quæ est vertibilis ante, & post: ideo Angelus malo quod appetit peccando, immobiliter inhæret. Secunda ratio assignatur ex natura utriusque: quia Angelorum natura non propagatur ex uno, ex quo vitium contrahat, sicut humana; & ideo nec per unum eam reparari congruit: & hoc est quod videtur Apostolus dicere ad Rom. v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Tertia ex peccato utriusque, & quantum ad genus peccati: quia homo supervivit ex appetitu scientiæ, cujus natura creata capax est; Angelus vero ex appetitu potentis, quam natura creata non ita perfecte potest recipere sicut scientiam: unde & animæ Christi communicata est omniscientia, sed non omnipotentia; & etiam quantum ad circumstantiam peccati: quia homo peccans & de venia cogitavit, & in aliquo deceptus est, ut in II. Lib. dicitur (dist. IV. in textu & dist. XXI. quæst. 1. art. 2. & 3.) non autem Angelus peccans: & similiter quantum ad occasionem peccati, quam homo habuit, quia alio suggerente peccavit, non autem Angelus. Quarta ex justitia divina: quia omnes illi ad quos corruptio peccati primi hominis venire debebat, nondum erant in actu, sed in virtute tantum; & ideo non decebat ut priusquam essent, ultimam damnationem reciperent, sicut omnes Angeli actu existentes proprio arbitrio peccaverunt. Quinta ex misericordia divina: quia tota natura humana lapsa erat in uno parente, non autem tota natura angelica: & ideo magis indecens erat ut natura humana tota relinqueretur sub damnatione, quam natura angelica, quæ non tota corruebat. Sexta vero, & præcipua est ex parte status utriusque: quia homo non peccavit in termino viæ suæ, sicut Angelus, cui ad propriam electionem status viæ finitus est: & hoc consonat verbo Damasceni, qui dicit (Lib. II. de Fid. orth. cap. IV.) quod hoc est hominibus mors quod Angelis casus: & de hoc in Lib. II. (dist. VII. quæst. 1. art. 2.) dictum est.

Ad tertium dicendum, quod in creatione se habet creatura sicut effectus productus in esse per creationem; & ideo non exigitur ut à creatura aliquo modo operatio creationis exeat, sed quod ad eam terminetur: sed in recreatione creatura se habet ut satisfaciens, quod sine ejus operatione fieri non potest: & ideo quamvis creatio sit opus Dei non per aliquam creaturam, tamen oportet ut recreatio per modum redemptionis facta, sit opus Dei naturam creatam assumens.

Ad quartum dicendum, quod quamvis Deus sit summe misericors, sua tamen misericordia nullo modo justitiæ suæ obviat. Misericordia enim quæ justitiam tollit, magis stultitia quam virtus dici debet, & ita Deum non decet: propter quod Deus misericordiam infinitam sic manifestare voluit, ut in nullo ejus justitiæ derogaretur; quod factum est, dum pro nobis homo factus est, ut pro nobis satisfaceret: in quo etiam ejus abundantior misericordia ostensa est ad nos, quam si peccatum sine satisfactione dimisisset; in quantum naturam nostram magis exal-

tavit, & pro nobis mortem pertulit. Nec tamen est simile de homine, & de Deo propter duo. Primo quia ipse Deus est iudex omnium, ad quem pertinet justitiæ ordinem servare, non autem homo qui libet: unde & iudex non debet proprio arbitrio peccata dimittere impunita. Secundo quia cum Deus sit ipsa bonitas, ex hoc ipso est aliquod malum quod contra ipsum est: & ideo cum poena non debeatur actui, nisi quia malus est, decet ut ipse se vindicet puniendo peccatum quod contra ipsum commissum est. Secus autem est de homine: unde homo non debet punire quasi se vindicans, sed quasi Deum vindicans, si hoc ex officio habet. Unde dicitur Deut. xxxii. 35. secundum aliam litteram: (2) *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Ad quintum dicendum, quod quantitas peccati ex duobus potest pensari: scilicet ex parte Dei, in quem peccatur; & sic infinitatem quamdam habet, prout offensam Dei est, quia quanto major est qui offenditur, tanto culpa est gravior: vel ex parte boni, quod corrumpitur per peccatum; & sic quantitas culpæ finita est, scilicet in quantum est corruptio naturæ: & ideo ad satisfactionem debitam requiritur actio hominis, quæ proportionetur quantitati culpæ, in quantum corruptio quædam est, & gratia cuius virtus quodammodo infinita est, cum sufficiat ad merendum præmium infinitum, per quam satisfactio proportionatur quantitati culpæ, prout offensam Dei est: & ideo ex se non sufficit homo ad satisfaciendum, quia ex se gratiam habere non potest. Nec tamen Deus crudelis est hanc satisfactionem exigens: quia quamvis gratiam habere non possit ex se, & ita nec satisfacere, potest tamen satisfacere per id quod Deus paratus est dare, scilicet per gratiam.

Ad sextum dicendum, quod quantitas originalis, & actualis mortalis peccati potest dupliciter attendi: vel quantum ad principium, vel quantum ad bonum quod per utrumque privatur. Principium autem actualis peccati voluntas propria est; principium autem originalis in isto, est origo ejus vitia: unde originale quodammodo est necessarium; sed actuale est omnino voluntarium: unde plus habet de ratione culpæ, & vituperabilis. Bonum autem quod per actuale peccatum corrumpitur, est bonum huius personæ, cui præponderat bonum totius naturæ, quod per originale corrumpitur: quia bonum gentis est divinius quam bonum unius hominis, ut dicitur I. Ethic. (cap. I. vel II.) Unde & originale peius erit quam actuale, ut sic possit dici, quod actuale est major culpa, & originale majus malum. Actio autem satisfaciens, ut prius dictum est, proportionatur quantitati culpæ ex parti boni quod per culpam corrumpitur: (3) & cum omnis actio sit personæ, quia actus singularium sunt, ideo ad satisfactionem pro actuali sufficit actus cujuscumque hominis cum gratia divina; non autem ad satisfaciendum pro originali peccato, nisi actio illius hominis plus valeret quam totum bonum humanæ naturæ: & hoc non posset esse, si esset purus homo; & ideo oportuit esse Deum & hominem qui pro originali satisfaceret. Vel dicendum secundum quosdam, quod etiam pro actuali peccato non sufficit purus homo satisfacere nisi præsupposita satisfactione Christi, ex cuius passione etiam antiquorum patrum satisfactio efficax fuit, qui in fide ejus salvabantur.

Ad septimum dicendum, quod in peccato primi

(2) Vulgata: *Mea est ultio, & ego retribuam.* (3) Al. & ideo.

hominis persona corrumpit naturam: unde illud peccatum potest dupliciter considerari: vel quantum ad corruptionem boni personalis; & sic primus homo pro eo satisfacit adjutorio gratiæ Dei: vel in quantum fuit corruptio naturæ; & sic pro eo Adam satisfacere non potuit, nec aliquis antiquorum patrum, nisi solum in quantum corruptio naturæ in personam redundabat: ex hac enim parte originale peccatum in antiquis patribus per fidem, decimas, circumcisionem, & sacrificia solvebatur: & ideo decedentes nondum ad visionem Dei admittentur, nisi prius per satisfactionem Christi, naturæ corruptio sanaretur.

Ad octavum dicendum, quod ipsa reparatio humani generis aliquo modo mediantibus Angelis facta est: ipsi enim nasciturum Dominum annuntiaverunt, ut dicitur Luc. I. Non tamen sufficebat Angelus reparationem perficere, quia satisfacere non poterat pro tota humana natura; nec etiam debebat, quia ipse non peccaverat: & ideo oportuit, ut dictum est (sup. in corp.) quod per Deum hominem reparatio humani generis completeretur.

Ad nonum dicendum, quod nulla creatura, in quantumcumque bonitate, crearetur, potest sufficere ad reparationem corruptionis humanæ naturæ per modum satisfactionis: cujus ratio potest esse triplex. Prima est, quia omnis creatura totum quod potest, pro se Deo debet: unde non relinquitur sibi ut pro alio satisfacere possit. Secunda, quia hoc requiritur in satisfactione ut quod satisfaciens reddit, præponderet ei quod per culpam ablatum est, vel saltem sit æquale illi. Quamvis autem aliqua natura creata sit, vel possit esse melior natura humana; non tamen natura in aliqua persona creata considerata potest adæquare bonitatem totius naturæ humanæ: bonum enim humanæ naturæ quodammodo infinitum est per comparisonem ad supposita, in quantum natura humana in infinitum per generationem communibilis est; bonum autem cuiuslibet naturæ creatæ & in se infinitum est, & finitur secundum quod consideratur in uno supposito determinato: & ideo cum actus sint suppositorum, non potest esse ut operatio alicujus creaturæ valeat tantum quantum est totum bonum naturæ humanæ, ut possit esse digna satisfactio pro ejus reparatione. Tertia est, quia ut in H. (Lib. dist. XIX. quæst. I. art. 4.) dictum est, humana natura in prima sua conditione accepit quædam per quæ supra statum suis principiis congruentem elevabatur, sicut immortalitatem quamdam, quæ erat gratiæ, non naturæ, & alia hujusmodi sibi ex pura liberalitate divina collata, per quæ peccatum amisit. Unde eam reparare erat ad gradum superiorem ipsam elevare, in quo prius condita fuerat. Non est autem possibile elevare aliquam naturam ad gradum superiorem, nisi ei qui naturas condidit, & earum gradus ordinavit: & ideo soli Deo possibile fuit naturam humanam reparare.

ARTICULUS III.

Utrum si homo non peccasset, Deus fuisset incarnatus.

III. P. quæst. 1. art. 3.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. Ut enim dicitur Deuter. xxxii. 4. *Dei per*

